

rochiæ fidelis qui, proprio contempto parochia ibi vellet Missam audire. Quod si adesset, ejiciendus foret *c. 2. h. t.* At ex contraria consuetudine factum est ut hodie liberum sit cuique fideli in toto orbe christiano Missam audire in qualibet publica Ecclesia tam sæculari quam regulari ad satisfaciendum præcepto auditionis Missæ. Quoad Ecclesias regulares jam fuerat concessum a Leone X. in Const. *Intelleximus diei 13. Nov. 1517.* Deinde confirmatum fuit a S. Pio V. in literis Apostolicis datis *17. Kal. Sept. 1567,* et tandem a Clem. VIII. in Brevi *'Significatum' ann. 1592.* Conferri potest Ben. XIV. in op. *De Syn. diœc. lib. XI. c. 14. n. 8.* Quo in loco etiam constituit doctissimus Pontifex opinionem aliquorum canonistarum qui arbitrabantur vigere adhuc præceptum audiendi Missam proprii parochi saltem in solemnioribus festis diebus.

Præ oculis vero haberi debet id quod tradit Trid. in *sess. 22. in decreto de observandis et vitandis in celebr. Miss.* Alloquens enim Episcopus ait: 'Moneant eundem populum ut frequenter ad suas parochias saltem diebus dominicis et majoribus festis accedant.'

16. De munere prædicationis. — Parochus vel per se, vel eo impedito, per alios idoneos tenetur diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebem sibi commissam pro sua, et plebis capacitate salutaribus verbis pascere. Conc. Trid. in *c. 2. sess. 5. de Ref.* Quod si Parochus ab Episcopo monitus per trium mensium spatium huic muneri suo defuerit, per censuras ecclesiasticas, vel alias pœnas ad Episcopi arbitrium cogi potest ad officium prædicationis explendum. Immo Episcopus potest, si opportunum duxerit, ex beneficii parochialis fructibus partem congruam detrahere, et alteri tradere qui munus prædicationis expleat, donec parochus respiscat. Decreti autem hujus executio nullo modo impediri potest nec infirmari, aut suspendi sive ob consuetudinem contrariam, sive ob exemptionem parochi, vel etiam ob interpositam appellationem aut recursum. Trid. in *cit. loco et c. 4. sess. 24. de Ref.*

17. Porro non requiritur oratio elaborata ad formam rhetoricæ elocutionis, sed sufficit ut Parochus pascat gregem suum salutaribus verbis, prout docet Innoc. XIII. in Const. *Apostolici Muneris 13. Maji 1723.* Quam Constitutionem, quæ pro Hispania edita erat, omnibus Episcopis veluti exemplar dedit Bened. XIII. in Const. *In Supremo diei 13. Sept. 1724.*

18. Nec admittitur excusatio quod satis provisum sit per publicos annuales concionatores, aut quod exiguus sit numerus fidelium parœciæ. Hæc namque effugia excluduntur a cit. Const. Innoc. XIII. Benedictus XIV. vero in Const. *Et si minime 7. Febr. 1742* ampliavit decretum Tridentinum. In § enim *14.* statuit Pontifex ut Episcopus in Ecclesiis ruralibus etiam non parochialibus, longe a parochialibus, positis decernat, etiam gravibus statutis pœnis, populum ibi edoceri debere christianæ doctrinæ elementa a sacerdotibus ibi sacra operantibus.

Urget etiam Parochum præceptum explicandi fidelibus catechismum diebus festis. S. Congr. Concilii in *Montis Felisci 8. Maji 1706* et aliis omissis in *Nullius Orbetelli 28. Aprilis 1736.*

TITULUS XXX.

De decimis, primitiis et oblationibus.

1. Decimæ possunt accipi objective et formaliter. Objective definiri possunt 'pars decima omnium fructuum juste quæstorum ministris ecclesiæ quotannis solvenda ratione sacri ministerii pro eorundem sustentatione'. Ita Hostiensis in summa hujus tit. Formaliter vero seu juridice inspectæ decimæ sunt 'jus petendi partem decimam ex fructibus omnibus juste acquisitis competens ministris Ecclesiæ propter ministerium spirituale.'

2. Quæstio proponitur a DD. quo jure decimæ solvendæ sunt?

Ipsam factam immutationis, substantialis in materia decimarum satis ostendit earundem institutionem esse juris ecclesiastici, et pertinere ad mutabilem disciplinam. At plura loca juris decimas ad divinam institutionem referunt, et earum solutionem divino præcepto adscribunt. Ita præsertim Alex. III. in *c. 14. h. t.* et Innocent. III. in *capp. 25., 26. et 33. h. t.* Ad rei intelligentiam sequens animadversio faciendâ est. In Vet. Test. divina lex expressa *Numeror. et Deut. c. 18.* jubebat, levitis, quibus non fuerat portio terræ tributa, a ceteris tribubus solvendam esse decimam partem fructuum ad vitam honeste sustentandam. Cum legalia Vet. Test. cessaverint ex promulgatione Novi, et præsertim hac in re, cum non amplius ex una gente vel populo debeant eligi sacrorum ministri, dici amplius non potest vigere adhuc præceptum divinum Vet. Test. obligans fideles ad solutionem decimarum. In novo autem Testamento renovatum fuisse non legimus.

3. Verum in ipsa institutione decimarum V. T. reperitur elementum, quod perpetuum dici debet, ut scilicet sacrorum ministri alerentur a populo, quaecumque tandem sit ratio subministrandi alimenta. Hanc partem divini præcepti renovatam fuisse deprehendimus in Novo Test. præsertim *Matth. 10.* 'Dignus est operarius mercede sua' et in *1. Cor. c. 9. vv. 7., 11., 17.* Quare adhuc viget divinum præceptum quo fideles tenentur suppeditare temporalia et necessaria ad congruam sustentationem ministris sacris a quibus spiritualia recipiunt, quique divinis mancipati servitiis a curis sæcularibus exempti esse debent.

4. Indifferens est utrum fideles huic oneri satisfaciant, vel concessione prædiorum, et præbendarum vel oblationum et portionis fructuum, et obventionum. Apostoli oblationes a fidelibus excipiebant. Successivis temporibus cum Ecclesiæ possiderent jam bona immobilia, istis imparibus ad honeste sustentandos ministros, adhuc mos perduravit exposcendi a fidelibus oblationes. Cum vero ob imminutum charitatis fervorem oblationes deficerent, necesse fuit lege peculiari has oblationes præcipere. Ne autem esset indeterminata obligatio placuit Ecclesiæ normam sequi in Vet. Test. constitutam, qua decima pars fructuum solvenda erat. Quare lex obligans ad decimarum solutionem in sua forma specifica est lex ecclesiastica. Verum duplici ex respectu decimarum præceptum dici potest divino ex jure procedere: 1º. Quia ex jure divino derivat præceptum tribuendi in genere ministris honestam sustentationem quæ post institutas decimas in Ecclesia præstatur per eandem solutionem. Unde Glossa in *c. 25. v. Divina h. t.* explicans illud *divina constitutione* scribit: 'Quia debent esse cibus in domo domini'. 2º. Quia instituta mensura seu quantitas oblationum solvendarum Ecclesiæ in decima parte fructuum dici potest inducta esse ad imitationem disciplinæ Veteris Testamenti.

De divisione decimarum.

5. Claritatis causa animadvertimus aliquibus in locis solutionem decimæ partis fructuum repræsentare jus condominii Ecclesiæ in fundo. Id autem verificatur si fundus Ecclesiæ datus fuerit in emphyteusim sub ea conditione ut emphyteuta solveret canonem in decima parte fructuum. Decimæ hujusmodi, ut quisque videt, solvuntur titulo civili in repræsentationem juris realis, quod habet Ecclesia, non autem titulo Sacramentorum. Igitur decimæ hujus-

modi dici non possunt sacramentales. Nos loquimur de decimis sacramentalibus.

6. 1º. Aliæ sunt *personales* aliæ *reales*. Reales, quæ etiam prædiales dicuntur, sunt quæ solvuntur ex fructibus prædiorum, quos vel natura sua, vel cooperante industria, et labore hominis prædia referunt. Personales illæ sunt, quæ solvuntur ex obventionibus acquisitis ex sola industria et labore personæ. Ex. gr. ex lucro quod personæ acquirunt ex negotiatione, artificio etc.

7. Reales penduntur a possessore fundi quicumque ille sit, et dividuntur 1º. in *majores et minutas*. Majores sunt quæ solvuntur ex fructibus, qui in agris majoris momenti et quantitatis solent esse ex. gr. ex frumento, vino, oleo etc. Minutæ solvuntur ex fructibus qui exigui esse solent ex. gr. herbis, pomis, lana etc. 2º. Dividuntur in *antiquas et novalis*. Antiquæ solvuntur ex fructibus fundi qui jam colebatur; novalis, quæ ex terris nuper ad culturam redactis, ex. gr. si palude exsiccata, agri fiant, vel si fundus ab hominum memoria sterilis nunc incipit excoli et fructificare.

8. Quæritur de quibus rebus decimæ solvendæ sint.

In *c. 23. h. t.* decernitur: 'Fidelis homo de omnibus, quæ licite acquirere potest, decimas erogare tenetur'. Concordat *c. 22. et 26. eod.* Et quidem solvendæ sunt decimæ non solum de terris ad culturam redactis sed etiam de novalibus *c. 29. h. t.* Pariter de omnibus proventibus molendinorum, piscationum etc. *c. 5. eod.* necnon de negotio, artificio *can. 66. c. 16. q. 1.* Excipiuntur res et fructus injuste acquisiti; ex hisce enim Ecclesia decimas non recipit, ne videatur participare de pretio criminis et injustitiæ; argumento a sensu contrario *c. 23. h. t. et can. 27. c. 1. q. 1.* Quod si vero fundus fuerit per injuriam occupatus, usurpator tenetur decimas præstare arg. *c. 16. h. t.* Nam decimæ prædiales fundo inhærent, qui fundus censetur Ecclesiæ obligatus. Hinc non ex injusta actione hominis, sed potius ex fructibus terræ quæ donum Dei est *c. 26. h. t.*

Animadvertendum autem est decimas reales solvendas esse non deductis, seu non computatis expensis pro cultura et tributis. Debetur enim decima pars fructuum telluris *c. 33. h. t.* Doctores vero communiter tradunt decimas personales solvendas esse deductis expensis. Personales enim decimæ fructibus civilibus æquiparantur, qui computantur post deductas expensas, et onera *l. 1. ff. soluto matr.*

Cuinam decimæ solvantur.

9. Decimæ ab Ecclesia statutæ sunt, ut solvantur clericis spiritualia populo ministrantibus. Quare ille jus habebit decimas percipiendi, cui ex officio incumbit onus sacramenta et alia spiritualia populo ministrandi. Facta igitur divisione diœcesis in parœcias, Parochus est cui solvendæ sunt decimæ *c. 29. h. t.* et pariter *c. 31. h. t.* Quare juxta canonistas Ecclesia parochialis de jure communi fundat intentionem in perceptione decimarum prædialium ex fructibus qui colliguntur intra limites parochiæ suæ. Ita Fagn. ad *c. 29. h. t. n. 21.* Immo Canonistæ allatis decisionibus S. Rotæ docent, parochum habere intentionem fundatam in jure quoad perceptionem decimarum etiam contra ipsum Episcopum.

10. Verum cum Episcopus sit princeps pastor suæ diœceseos, a quo vel indirecte et mediate, vel directe et immediate fideles spiritualia recipiunt, hinc sacri canones eidem reservarunt quartam partem decimarum uniuscujusque parochiæ *c. 13. h. t.* Verum hoc jus Episcopo a paroco præscribi potest quadragenaria præscriptione *c. 4. De præscr.*

11. Quod si parochus contra Episcopum quoad jus decimarum percipiendarum fundatam habeat intentionem in jure, a fortiori illam habere debet contra alios clericos diœceseos, et parochiæ. Ex quo patet cur in *c. 2. De rest. spoliat. in 6º.* Bonifacius VIII. canonicis, qui pro aliquo tempore in aliqua parochia decimas perciperant, et fuerunt hoc jure spoliati a Paroco, denegavit restitutionem contra illam spoliationem, et statuit canonicos demonstrare debere evidenter legitimitatem tituli sui. Scilicet restitutio contra spoliū non conceditur ante judicium in merito, quoties spoliāns intentionem fundatam habet in jure. Et hoc in casu tenetur spoliatus probare valorem juridicum tituli possessionis suæ. Quare in specie nostra reliqui clerici, ut percipiant decimas in parochia, debent habere aliquem titulum peculiarem.

12. Hujusmodi tituli possunt esse 1º. privilegium Apostolicum *c. 2. h. t. in 6º.*, 2º. transactio *c. 3. et 9. h. t.* Hæc vero transactio fieri debet ad formam juris seu cum solemnitatibus juris, nec jus decimandi loco pretii venire debet *sess. 6. c. 4. de Ref. in Trid.* 3º. Permutatio pariter legitime facta *c. 6. et ult. De rerum permut.* 4º. Præscriptio quæ, si habeat titulum, qui causam dedit possessioni, sufficit ut sit quadragenaria; si titulo careat, requiritur ut sit immemorialis.

13. Porro jus percipiendi decimas contra Parochum non extenditur ad novalia *c. 29. h. t. et c. 2. in fin. eod. in 6º.* Quod si alicui conventui concessum sit privilegium percipiendi decimas ex agro novali, de illo agro dumtaxat indultum intelligendum est. *c. 21. De Verb. signific.*

14. Si tandem sermo sit de laicis ipsi nunquam præscribere possunt contra parochum jus decimandi. At potest laicus homo ex privilegio pontificio jus decimandi obtinere, et ad tempus potest etiam ex Episcopi concessione. Afferri possunt *c. 25.* ubi supponitur decimas laicis olim in feudum dari potuisse, et *c. 19. h. t.* ubi laici dicuntur decimas sibi concessas illicite possidere et *c. 15. h. t.* ubi prælati qui decimas laicis concedunt vehementer increpantur. Quod vero ad tempus possint prælati decimandi jus concedere laicis patet ex principiis generalibus expositis in titulo *De donationibus* et in tit. *De locato et conducto.* Ut vero res intelligatur, jus decimandi potest considerari sub duplici respectu. 1º. Quatenus est jus spirituale adnexum, vel ordinatum præcise ad officium ministerii spiritualis, seu quatenus decimæ penduntur personis determinatis ministrantibus spiritualia. Hoc in sensu nullo modo potest laicis jus decimandi competere. 2º. Decimæ considerari possunt ceu pars patrimonii Ecclesiæ, ceu bona temporalia Ecclesiæ, quæ comparari possunt præbendis beneficalibus. Hoc sub adpectu in genere laicis competere non possunt quia destinantur Clericis *c. 26. h. t.* At ex privilegio Pontificis concedi possunt laicis præsertim in feudum, et ad tempus etiam ab Episcopo.

De personis, quæ decimas solvere tenentur.

15. Si de personalibus sermo sit, eas solvere tenentur omnes, qui jus habent percipiendi a Paroco suo spiritualia. Hinc eas non solvunt infideles et Judæi quia nullo spirituali jure potiuntur. Hæretici autem summo jure tenerentur decimas solvere, quia ingressi Ecclesiam per baptismum jus haberent percipiendi spiritualia, quod si ea non percipiunt, ex eorum facto provenit. Verum ex quo hæretici peculiare societates constituunt distinctas ab Ecclesia catholica, in negotio salutis censentur aberrare, et quoad spiritualium perceptionem infidelibus comparari possunt. Decimas ergo solvere non tenentur.

Etiam pro catholicis potest esse ratio exemptionis a decimis personalibus. Ita clerici et religiosi paroco loci decimas perso-

nales non solvunt. Levita enim levitæ non decimat *c. 2. h. t.* Consortes enim censentur esse clerici, et religiosi una cum parochio in ministerio. 2º. Etiam privilegium Summi Pontificis potest aliquem fidelem eximere ab onere solvendi decimas personales. 3º. Consuetudo quæ cum titulo sufficit ut sit 40 ann. si absque titulo necesse est ut sit immemorialis. Et revera consuetudine inductum est ut hæ decimæ amplius non solvantur.

16. Reales decimæ solvuntur ab omnibus qui prædia possident juri decimandi obnoxia. Hinc etiam Judæi et infideles vel hæretici ad quos pervenerunt hæc prædia tenentur decimasolvere; *c. 18. De usuris* et *c. 16. h. t.* Ratio est quia secus Ecclesia fraudaretur jure suo. Nec illis infertur injuria, nam terra decimarum solutioni obnoxia tanti minoris æstimabatur, et pro ea inferius pretium impenderunt ut acquirerent. Easdem decimasolvere tenentur domini prædiorum licet alibi domicilium fixerint: *c. fin. De paroch. et alien. paroch. c. 1. De præscript. in 6º.* et *c. 2. De rest. spol. in 6º.*, nisi contraria adsit consuetudo *c. 18. et 20. h. t.* Qua in re etiam animadverti potest in erectione novæ parochiæ intra limites alterius posse reservari jus decimandi in favorem Ecclesiæ matricis, saltem in parte, idest constituta prius rectori Ecclesiæ filialis congrua portione. Ex quo contingere potest ut bona existentia intra fines novæ parochiæ maneat obligata Parocho veteris parociæ seu Ecclesiæ matricis. Quæ œconomia ratio observanda præcipitur in *can. 44. caus. 16. q. 1.* ne Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam perdant, ut insinuatur in ipso Trid. *sess. 21. c. 4. de Ref.* ubi decernitur solummodo ut novo Parocho adsignetur congrua portio ex fructibus antiquæ Ecclesiæ quomodocumque pertinentibus.

17. Quid vero dicendum de Clericis?

Certe hi tenentur decimasolvere de bonis patrimonialibus, seu quæ titulo civili possident. Cadunt enim hæc bona sub dispositione *cc. 23. 24. h. t.* Pariter tenentur decimasolvere de bonis quæ antea decimarum solutioni subjiciebantur et deinde in dotem beneficii transierunt *can. 43. caus. 16. q. 1.* Res enim trans-eunt cum onere suo *c. 33. h. t.*

At si sermo sit de bonis quæ clericus possidet titulo beneficii, quæque antea subjecta non erant oneri solvendarum decimarum de illis decimasolvere non debet. Hæc conclusio infertur ex *c. 2. h. t.* in quo, ne contradictio admittatur, dicendum est cum Glossa,

et communi doctorum sententia, præcipere caput solutionem decimarum a clericis faciendam de bonis patrimonialibus, seu titulo civili possessis, non vero de bonis ecclesiasticis. Quoad enim ista bona verificaretur absurdum quod Levita decimasolveret Levitæ, seu Ecclesia Ecclesiæ, sacrum ministerium alteri ministerio sacro. Hanc insuper distinctionem inter bona patrimonialia et beneficialia quoad onus decimasolverendi adoptavit per juridicam interpretationem S. Congreg. Conc. in *Marsicana 12. Aug. 1631* et in *Uggesensi Decimarum 11. Maji 1658* et aliis omissis in *Hortana decimarum 25. Sept. 1694.*

18. Si de regularibus sermo sit variæ adsunt decisiones in decretalibus Gregorii tum quoad fundos ab antiquo possessos, tum quoad prædia exulta ab antiquo, tum quoad novalia: tandem tum quoad prædia exulta ab ipsis religiosis, tum quoad ea quæ aliis excolenda tradunt. Cf. *c. 10., 11. c. 12. c. 34. h. t. c. 4. eod. in 6. § Caterum* necnon *c. 21. De Verb. sign.* Hisce capitibus juris ad-jungenda est resolutio S. Congr. Conc. in causa Pampilonensi decimarum *diei 31. Augusti 1728* in qua declaravit: 'Regulares non habentes in privilegiis expressam derogationem cap. *Nuper 34.* teneriolvere integras decimas exceptis bonis, et rebus præscriptis in cap. *Ex parte X. De decimis.*'

Ex hisce colligitur omnes regulares esse exemptos ab onere solvendi decimas tam personales, quam reales quæ præstari deberent ex fructibus hortorum suorum, nutrimentis animalium, et novalium, quæ vel propriis manibus, vel propriis sumptibus excolunt; de quibus sermo est in cap. *Ex parte X. h. t.*olvere vero debere decimas de fundis decimalibus, qui ad eos cum tali onere pervenerunt, nisi speciali privilegio eximantur.

De pœnis statutis contra non solventes decimas.

19. 1º. Ex *capp. 5., 21. et 26. h. t.* et ex Trid. *sess. 25. c. 12. de Ref.* præter grave peccatum decimas non solventes subjiciuntur excommunicationi ferendæ sententiæ, a qua non possunt absolvi nisi plene satisfecerint. 2º. Ex *c. 19. h. t.* privantur ecclesiastica sepultura. 3º. In *c. 1. h. t. in 6º.* regularibus præcipitur ne retrahant fideles a solutione decimarum. Cui constitutioni inhærens Clem. V. in *c. 3. De pœnis, in Clementinis* statuit, regulares, qui in sermonibus suis nempe publicis, vel alibi aliquid proferre præsumperint ut retrahant alios a solutione decimarum excommunicationem ipso

facto incurrere. At hæc excommunicatio non fuit renovata in Const. 'Apostolica Sedis'. 4^o. In *Clem. 1^a. h. t.* regulares usurpantes vel impediens decimas debitas ecclesiis, suspenduntur ab officiis, administrationibus, et beneficiis quæ possideant, quod si nihil horum habeant, excommunicantur, si intra duos menses iisdem Ecclesiis non satisfecerint. Porro suspensio, de qua in hac decretali, juxta doctores intelligitur ab administratione rerum temporalium, non autem a divinis.

20. Si decimæ denegentur potest decimator agere in petitorio actione confessoria, qua a iudice exposcit declarari sibi jus decimandi competere. Ita Glos. in *c. 26. h. t.* Si vero quæstio sit in possessorio, utrum nempe decimator possideat jus decimandi necne, tunc poterit agere remedio adipiscendæ, vel retinendæ possessionis. Primum iudicium cum totum versetur circa jus spirituale est exclusivum tribunalis ecclesiastici arg. *c. 25. h. t. et c. fin. De rerum permitt.* Secundum vero seu iudicium in possessorio, cum possessio juris sit res temporalis, poterit etiam pertinere ad laicum iudicem, cum videlicet reus erit laica persona.

De primitiis.

21. Primitiæ sunt primi fructus. De primitiis sermo est in lib. *Exod. 23., Deuter. 26. et Num. 18.* Ex *c. 1. h. t.* et Glossa ibi in Ecclesia instituta est praxis solvendi Ecclesiæ primitiis, quæ comprehendunt non solum primos fructus agrorum et animalium in anno, sed etiam primos fructus agri novalis. Porro nomine primitiarum solvendarum Ecclesiæ venit certa portio ex fructibus agrorum, quæ non excedit quadragesimam partem ipsorum fructuum. In animalibus vero ipsum primogenitum animal non in natura, sed ejus æstimatio præstanda est in portione quæ major non sit quadragesima. Si primitiæ solvantur Ecclesiæ parochiali, parochus est, qui exclusive ad alios sacerdotes facit suas. Si solvantur aliis Ecclesiis cedunt ipsis Ecclesiis. In genere præsumitur primitias Parocho solvi debere. At fere ubique in desuetudinem abiit.

De oblationibus.

22. Oblationis nomine venit quicquid Ecclesiæ offertur causa religionis.

Oblationes per se inspectæ non cadunt sub ullo jure sive divino sive humano. At ex lege testamentaria aut ex consuetudine,

præsertim in defectu honestæ sustentationis ministrorum fieri potest ut certis anni temporibus fideles teneantur oblationes Ecclesiæ præstare. Cavendum vero est præsertim in usu sacramentalium, in benedicendis agris vel domibus aqua lustrali, ne exigantur oblationes ceu correspectivum benedictionis.

23. Si quærat quænam cedant oblationes, dicendum est de jure communi oblationes quæ fiunt intra limites parœciæ, sive in Ecclesia parochiali, sive in oratorio privato, vel alicui imagini pertinere ad Parochum loci. Ipse enim habet fundatam intentionem in jure. Ita communiter Doctores. At hac in re notanda sunt: 1^o. Principium superius allatum locum habuisse in tota sua extensione cum vigeat usus decimarum. Hodie autem præsertim locorum consuetudines attendendæ, quibus consuetudinibus inductum est ut oblationes oratoriis, vel locis piis factæ administrantur ab illis quibus commissa est loci cura sub Episcopi auctoritate, vel saltem vigilantia. Qua in re præ oculis haberi debet decretum urbis et orbis S. Congreg. Rituum 1703 edit. circa jura parochialia, et præeminentias inter Parochos, et confraternitates laicorum, eorumque Capellanos. In dubio 28. decreti cum quæreretur an possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, et eleemosynarum in sæpe dictis Ecclesiis (confraternitatibus) collectarum vel capsulæ pro illis excipiendis expositæ clavem retinere, responsum est negative. 2^o. Præcipue attendenda est intentio fidelium offerentium.

24. Ecclesia non a quibuscumque recipit oblationes: 1^o. non recipit oblationes in Ecclesia, vel ad altare a non baptizatis, et ab aliis qui a communione præcisi sunt. 2^o. Ab usurariis *c. 3. De usuris.* 3^o. A raptoribus *c. 2. De raptoribus.* 4^o. Ab oppressoribus pauperum *can. 2. Dist. 89.* 5^o. A sacrilegis *can. 12. c. 17. q. 2.* 6^o. A publicis pœnitentibus ne videatur ratione oblationis Ecclesia remittere pœnam *can. 118. Dist. 3. De consecrat.* 7^o. Etiam a publicis peccatoribus, in pœnam criminis et scandali.

TITULUS XXXI.

De regularibus et transeuntibus ad religionem.

1. Antiquissimi sunt in Ecclesia cœtus personarum, quæ ex professo quasdam virtutes exercent, et perfectioni vitæ spiritualis insistent. Cœtus isti dicuntur vivere in statu regulari. Cum per-